Cracovien. Exemptionis Super Manutentione *Quoad Curam Animarum.*

1 Rev. Pater. **V**Idimus *in contemporanea Responsione*, quam extranea sit à casu nostro juris dispositio favens Ordinario Cracovien., quamque sint antiquati informes, æquivoci, & inanes Actus, quos ille unus è tenebrarum caligine suscitavit ad intervertendam nostræ Exemptionis Possessionem, quæ recentioribus, iisque validioribus Actibus, tùm etiam Judicialibus monimentis constituta est, fundamentumque recipit ab Apostolicis Privilegiis; Nunc ordine suo persequenda sunt, quæ Manutentionem respiciunt *quoad Curam Animarum*: Ordine inquam suo; Nam D. contrarius Scribens confusim agens, verba fecit de Exemptione Monasterii Generalis Miechovien. quoad Curam Animarum *in Allegatione sua super Exemptione in genere*; Hic igitur Loci opportunè profligatis omnibus contrariis equivocis, & re una ab altera distincta, id redibit manifestum, ut hujus etiam contentionis definitio sit absolvenda juxta humillima Vota Rmi nostri Generalis Præpositi.

2 Et plane Monasterium Generalitium Miechovien., utcumque habeat adnexam Curam Animarum, attamen constanter substinemus, quod plenaria frui debeat exemptione ab Ordinarii Cracovien. Jurisdictione; Clamant in hoc non tantum amplissima Exemptionis Apostolica Privilegia, sed maxime urgent dispositio *Sacri Concilii Tridentini*, *&* *Benedictinæ Constitutionis*, necnon demum pacifica ad hanc usque diem retenta nostra Possessio. Tria autem hæc invincibilia fundamenta longe quidem est, ut evertantur ab ociosis iis, & minutis cavillis, quæ huc, & illuc inordinate conglomerat *utraque contraria Allegatio*.

3 Et perperam quidem impugnatur, Monasterium Miechovien. esse *Caput* Ordinis, *vel* quia non habeat sub dominio suo, compræhendatque cæteros Conventus in Orbe Catholico existentes, *vel* quia concedi assueverit in Commendam, *vel* demum quia Episcopus exerceat in eo Monasterio Jurisdictionem majorem, quam obtinet Generalis Præpositus in eodem Monasterio residens,

Primum sane objectum collabescit eo ipso, quod non dubitatur, Ordinem nostrum Canonicorum Regularium S Sepulchri in Regnis Poloniæ redactum jamdiù fuisse *in Congregationem*, suis præterea vivere Legibus, & Constitutionibus ab eodem Generali Præposito sancitis, & à S.Sede approbatis, *ut in nostro Summario num.* 13. 14. 15., *&* 16., ipsique Præposito qua Generali, & Capiti Ordinis ad tramites earumdem Constitutionum subesse singulas Ecclesias, & Conventuales Domus Canonicorum dicti Ordinis, qui occupant universam *Poloniam*, *Silesiam*, *Boemiam*, *Hungariam*, finitimosque Locos, uti nedum affirmant laudatissimi *Scriptores*, verum etiam *quoad Conventum S. Heduigis* apud Cracoviam obtestatur *Decisio in Cracovien. Præpositura* 14. *Maii* 1773. *coram bon. mem. Riccio*, & quoad alteram *Conventualem Domum S. Joannis* in Civitate *Gnesnen.* fundatam, testimonium perhibet altera Æque *Rotalis Decisio in Gnesnen. Conventualitatis* 27. *Martii* 1775. *coram eodem*; necnon evincit formula Obedientialis Voti, quod omnes ii Canonici profitentur dicto Generali, ut *in Summario num.* 22., uberiusque comprobat illa turba Actuum Visitationum, Electionum, Privationum, Correptionum, Resignationum, aliorumque hujus generis jurisdictionalium Actuum, quos non tantum in Conventibus, qui jacent in Diœcesi Cracoviensi, sed etiam in relatis Ecclesiis, & Conventibus Ordinis sui, idest in *tota Polonia*, *Silesia*, Bohemia, & Hungaria jugiter explevit idem Generalis Præpositus Miechovien *Summ. num.* 17. 18. 19. 20., *&* 21. Quod autem Monasterium Miechovien., ejusque Superior non habeat sub potestate sua Conventus alios, qui manent in Galliis, & in Hispaniis, quique particularibus vivunt Legibus, id utique non facit, ut cesset Generalitia qualitas Præpositi Miechovien., minusque perimit titulum, quem perpetuò habuit d. Monasterium Miechovien., nempe *Caput Ordinis* S. Sepulchri in *Regnis* Poloniæ: Et multæ porro sunt in Orbe Catholico Religiosa Monasteria ejusdem Ordinis, & Instituti, quæ sicuti diversis reguntur Constitutionibus, ita & diverso subiiciuntur, ac obediunt Superiori, qui tamen in eodem Ordine, eademque in Natione Caput, & Generalis existit: Sic enim *Hieronymiani* suum habent Generalem *in Italia*, atque alterum *in Hispaniis*. Ita *Fratres Minimi* & in Galliis unum habent, & in Italia alterum Præpositum Generalem.

4 Quidquid e contra sentiendum esset, si quis alter Conventus nostri Ordinis in eadem Polonia existens, & de per se vivens prætenderet tale exemptionis beneficium. Sicut enim ille uti singulariter vivens videretur constitue-

re

ere diversum corpus a toto Ordine, qui est in Regnis Poloniæ, ita summo jure non deberet frui privilegiis, quæ a S. Synodo tribuuntur Capitibus, seu Generalibus Regularium. Et hic adamussim erat casus exadverso allegatæ *decisionis* 809. *coram Ansaldo*: Agebatur enim de Abbate, & Monachis Monasterii Creuzlignani, qui manebant in Diæcesi Constantien., suis viventes legibus, nec Subditi Generali Abbati, qui erat in eadem Diæcesi: Summo proinde jure firmatum fuit, quod = *hujusmodi Monasteriis, & Regularibus singulariter, & de per se Viventibus inapplicabilia sunt, & incongrua præfata Exemptionum Privilegia solum concessa Capitibus, seu Generalibus Regularium.* = Similiterque *Fagnan.* in contrarium allatus differit tantum de iis Monasteriis, quę in Congregationem redacta non sunt, ut innuunt aperta verba illius *in Cap: de Piore sub num.* 16. ibi = *Primus casus non dubius est in regularibus Monasteriorum Episcopis subjectorum, prout sunt plures Abbatiæ, & Monasteria in Germania, Belgio, & in Polonia, IN CONGREGATIONEM NON REDACTA, quæ nulla patiuntur prærogativa Exemptionis* =

5 Firmato igitur, quod Ordo noster in tota Polonia sit in Congregationem redactus; quod suis vivat legibus; quodque Regulares Conventuum dicti Ordinis sistentium in tota Polonia, Silesia, Boemia, & Hungaria Præpositum Monasterii Miechovien. recognoscant caput, & Generalem, non est sane momento temporis huic Generali Præposito renioranda, quæ debetur ex ipsa Concilii assistentia Manutentio in possessione Exemptionis etiam *quoad Curam Animarum*, ut bene distinguendo explicat *eadem decis.* 809. *coram Ansald.* minus caute in contrarium adducta *num.* 10. ibi = *Ab Ordinaria Episcopi jurisdictione solum exempti sunt Regulares illi, qui in forma cujusdam Reipublicæ, seu per Constitutionem Universitatis ab eorum Supremo Capite reguntur.*

6 Nec nisi ob desperatæ defensionis inopiam regeritur, quod documenta a Nobis allata in probationem Generalatus reducantur ad meras enunciativas, & quidem profectas ab ore eorumdem Præpositorum Miechoviensium. Ecquid enim? An censebimus puram Enunciatiuam, id quod in sua Constitutione de Voto S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium edita serio professus fuit Innocentius Papa XI., quodque legimus *in Summario num.* 12. ibi = *Cum autem d. Generalis Præpositus &c. speret nonnulla Loca &c. a proprio Corpore &c. incuria Cammendatariorum &c.* separata &c. *SUO CAPITI reversura &c.*? = An dicemus enunciativas illas, quas *Annis* 1549. 1624., & 1677. emiserunt etiam apud S. Sedem non unus, aut alter,

ſed tres Reges Poloniæ, nempe *Canonicos Sancti Sepulchri non alium, quam PRÆPOSITUM MIECHOVIEN. Superiorem* agnoſcere, eumque SUMMA CUM POTESTATE PRÆSIDEM eſſe, *Summorum Pontificum authoritate conſtitutum, ſparſos per Regnum noſtrum, ac vicinos Hungariæ, Boemiæ, & Sileſiæ Societates, & Conventus ad ſuum jus pertinere &c.*, itidemque eumdem Præpoſitum FUISSE SEMPER DICTI ORDINIS GENERALEM &c., *Summario num.* 26. 27. & 28. An ne uti meras enunciativas contemnemus confeſſiones illas, quas non modo in actibus Inſtitutionum ediderunt univerſi Poloniæ Epiſcopi, de quibus *in Summario n.*33. *per tot.*; Sed maxime in relationibus Status ſuæ Diæceſis tranſmiſſis ad Sacram Congregationem Concilii emiſit *ipſe Cracovienſis Epiſcopus*, ut in *Summario num.*36., ibi = *Canonici quoque Regulares Sancti Sepulchri HABENT CAPITALEM CONVENTUM IN MIECHOVIA CUM PRÆPOSITO TOTIUS ORDINIS GENERALI* =.

7 An exiſtimandæ erunt enunciativæ ea omnia, quæ ſparſim undique leguntur tum in Apoſtolicis noſtris Privilegiis, cum & in Conſtitutionibus Ordinis a Sancta Sede confirmatis, quibus primario loco cautum fuit, ut Præpoſitus Monaſterii Miechovien. eſſet *Superior*, & *Generalis* ſui Ordinis? *Summario num.*13. 14. 15., & *litt. A.*; An demum erit habenda enunciativa illa, quæ per modum regulæ ſtabilita fuit *in Concordatis* cum Sancta Sede initis, & ab eodem Epiſcopo Cracovien. ſubſcriptis, nimirum = QUOD IN MIECHOVIENSI PRÆPOSITURA ESSE DEBEAT PRÆPOSITUS GENERALIS? *Summario num.* 37.. An ne præterea refutanda erit tamquam ſimplex enunciativa illa, quam exhibent Apoſtolicæ Confirmationes eorumdem Præpoſitorum Miechovienſium, per quas iiſdem Præpoſitis uti Generalibus, & Capitibus plenaria Ordinis cura, atque juriſdictio tributa extat? *Summario num.*23. 24., & 25.. Porro quicumque modo affirmet, has eſſe putandas meras enunciativas, eaſque exciſas ab ore noſtrorum Præpoſitorum, eum merito volumus ab altiori ſaxo dejiciendum, Quamobrem ſi periculum hoc evitare velint contrarii Scribentes, ſique illi veritatem adhuc amant, fateantur oportet, hæc omnia, quorum unum cæteroquin ſatis eſſet, ſimul unita præſtantia monimenta, eſſe ineluctabilia Generalatus noſtri Teſtimonia.

8 Deterioris furfuris eſt oppoſitio, quod Conceſſiones in Commendam Monaſterii Miechovien. excludant Generalitiam qualitatem Præpoſiti ipſius Monaſterii, Procederet

ret enim forte discursus, si res esset de Monasterio, quod regeretur jure singulari independenter cum aliis, adeout non constitueret Congregationem, nec ibi adesset Regimen Prælati, seu Præpositi Generalis, cui cæteri omnes ejusdem Ordinis Conventus immediate subsunt, & obediunt. Hoc siquidem in casu non tam ratione Instituti, vel disciplinæ Regularis, sed etiam ratione jurisdictionis Spiritualis potestatem suam posset exercere ipsemet Commendatarius. Sed ubi res est de Monasterio, prout est nostrum Miechoviense, quod efformat Universitatem; sive Congregationem in totius Poloniæ Regione; necnon in Boemia, & Hungaria, omnesque Regulares Canonici horum Locorum vivunt sub Generali Præposito Miechovien., parentque Legibus ab eo præscriptis, hac plane in diversissima hypothesi nemo dixerit, Concessiones in Commendam dicti Monasterii aliquid irrogasse detrimenti prærogativæ, & effectui Generalatus. Nam hoc in casu = *Sequitur, quod Commenda vere, & proprie aliud non infert damnum, vel præjudicium, nisi circa amissionem, vel diminutionem majorum reddituum* = ut bene distinguit., & probat ipse è contra citatus *Card. de Luc. in Miscellan. Eccles. disc. 54. num. 26., & seqq.*

9 Et id sensisse apprime videtur S. Sedes Apostolica: recurrente enim ad illam Anno 1719. Generali Præposito Miechovien. = *Ut Monasterii Miechovien.*, *QUOD EST CAPUT SUI ORDINIS*, *JURIBUS &c. consulatur* = *Summario num.* 30., S. Congregatio Episcoporum, & Regularium, cui ex Oraculo Sanctissimi remissæ fuerunt eædem preces, definivit, *NULLAM Commendatario dandam esse jurisdictionem in Canonicos Ordinis S. Sepulchri*, eisdemque *competere privative jus eligendi suum Superiorem Regularem Generalem*, *Summario num.* 45., idque firmius constituit ore suo Summus Pontifex Anno 1725., *ut in Summario num.* 46. In his vero terminis oportet esse minus sane mentis, quicumque adfirmet, ex Concessionibus in Commendam alteratam fuisse Generalatus Dignitatem, dum tanta hæc monimenta eamdem Generalatus prærogativam servant incolumem, atque confirmant.

10 Harum exceptionum inanitatem noscens ipse contrarius Scribens, vaniori studio recurrit ad majorem, quam jactat, suam jurisdictionem. Huic autem Scopulo illum volumus hærentem. Ubi nam, & qua ratione probatur supposita jurisdictio ista, quæ sit major ea, quam habet Generalis noster Præpositus. Primum sedulo retinendum est, quod Adversarius nullum affert, nec valet afferre

Visitationis actum exercitum in Ecclesiam, & Monasterium Miechovien, imo contrarium uberrime docent allata plura Testimonia nostra *in Summario num.* 41. 42. *&* 43., lepidumque est, ut sui favore conetur Adversarius interpretari Testimonium quoad Visitationem una vice tentatam à Reverendissimo *Kuniski*, cum certi simus ex univoco dicto nostri Testis, qui præsens actui fuit = *quod Reverendissimus Kuniki visis, & auditis Privilegiis respondit = Se nolle umquam præjudicicare iisdem, atque ideo non venisse animo exercendæ Jurisdictionis*, ut *in Summario dicto num.* 41. *post Litt. C.*, & confirmant Testes ipsi in contrarium examinati, & malitiose reticiti, quorum alter edixit = *Audivi, quod Reverendissimus kunichi tantum pernoctavit ibidem, non tamen Ecclesiam Miechoviensem visitavit* =, consonatque alter contestis, ut adamussim refert *Allegatio nostra* §. 9.

11 Perditissime obtruderentur alii actus. Ad eorum quippe eliminationem una satis est observatio. quod nempe ii nimis remotum habeant terminum suum: Terminant enim *circa Annum* 1650., ut quisque viderit *in controrio Summario*; Ecquid autem est, ut a tanto tempore nullum possint Adversarii mendicare actum vel minimæ jurisdictionis? Porro si asserta Episcoporum possessio continuata non est, ostendimus jam *in nostro Restrictu*, quod illa lædere non possit Apostolica Exemptionis privilegia, eoque minus turbare actualem possessionem ejus, qui tali potitur privilegio: Argumentum imo non leve suppeditant actus illi circumscripti intra Cancellos adeo longinqui temporis, ut ideo cessaverint Actus contrarii quoad Animarum Curam, quia probe cognita fuerit plenaria exemptio ejusdem Generalis Monasterii ab Episcopali jurisdictione, prout revera exhibent Concordata cum S. Sede, quibus conventum fuit, ut non ab Episcopis acciperetur Institutio, sed quidem à Sancta Sede reportaretur confirmatio, seu Institutio electi Præpositi Miechovien.

12 Cæterum jam vidimus, quale sit iisdem antiquatis actibus reddendum judicium. Aliqui nempe referibiles ad jurisdictionem delegatam, eo quia res erat de deblictis *extra claustra* patratis, prout etiam sunt acta recenter gesta *contra Cyrillum Zchovvski*, uti *Reum Criminis falsi*, & relat. *in contr. Summario num.* 30., alii procedentes ab incuria Præpositorum plerumque *sæcularium*, & a malitia Officialium Curię Cracoviensis: Multi voluntarii, informes, æquivoci. Adeoque inattendibiles in hoc pręsertim expedito Manutentionis Judicio; Omnes insuper protestati, contradicti, & elisi per so-

lem-

lemnem illam Protestationem *Anni* 1620. in ipsomet Synodo receptam, atque admissam; Omnes præterea *gesti contra clarissimas Apostolicas Constitutiones, quæ suapte natura inficiunt quamcumque contrariam Possessionem, ac operantur, ut Manutentio concedi semper debeat ei, cui assistunt Privilegia, EXCLUSO ORDINARIO*, ut totidem verbis respondit *Rot. in Ratisbonen. jurisdictionis super Manutentione* 15. *Junii* 1764. §. 7. *coram Eminentissimo Zelada*. Omnes demum quasi spectra dilabentes è conspectu recentioris, & certissimæ Possessionis nostræ, quæ *omnino prævalere debet, uti conformis Apostolicis Privilegiis, exemptionem concludentibus*, ut ait *Rot. in Constantien. jurisdictionis* 13. *Aprilis* 1714. *§. final. cor. Scotto*.

13 Non hic vero labor est, nec tempus repetere univoca, quæ adsunt, eaque validiora, & in contradicto judicio obfirmata monimenta nostræ possessionis: Habeant quæso PP. Reverendissimi oculos suos *ad Summarium nostrum*, unoquoque ictu oculi concludent, neminem hactenus in judicium venisse, qui majora attulerit suę Possessionis documenta. Nec ingerantur Scrupoli, si Præpositi nostri Generales veniam petant ab Ordinario Cracovien. excipiendi Confessiones. Præterquod enim licentia ista omnino supervacanea esse dignoscitur, semel ac in Apostolica eorumdem Præpositorum Confirmatione illi remanent etiam instituti ad Curam Animarum, ut ex *Summario numer.* 23. 24., *&* 25., profecto hæc licentia, quam pro tutiori cauthela postulavit Præpositus, haud apta est suffocare, & extinguere Titulum Generalitium, & Nomen, quod habet Monasterium Miechovien, nempe *Caput Ordinis*: Nullam enim sapit implicantiam, ut Miechoviense Monasterium sit Caput Ordinis, & Præpositus ibi residens sit Generalis, utque is ratione excipiendi Confessiones Populi, qui est subjectus Episcopo, reportet opportunam ab eodem Ordinario licentiam.

14 Nil restat addendum, aut refutandum quoad plenariam exemptionem, nempè quoad Curam etiam Animarum *in Conventu Generali Miechoviensi*: Agendum modo esset quoad Curam Animarum *in cæteras Ecclesias Parochiales* ab eodem Conventu dependentes: Sed jam satis de his disseruimus *in nostra Allegatione*, ad quam in hac re remissive nos habemus, ne actum agere inutiliter videamur.

Quare &c.

Dominicus Franci.

R. P. D.

A Z E D O

Cracovien. Exemptionis,
Super Manutentione.
Quoad Curam Animarum,

PRO

Rmo D. Matthæo Buydecki Præposito Generali Canonicorum Regularium Ordinis SS. Sepulchri,

CONTRA

R. D. Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien.

A

Responsio

10

Typis Lazzarini 1777.